DE PROPRIETATIBUS RERUM

Wien, um 1440 Seite 394v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=287
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

in grossitudine equales ei quod est in medio de corpore ipsius Est autem serpens pessimus quam greci amphi propter extremitatum debilitatem vocant Et cum mordet accidit dolor vehemens et morsus eius serpendo totum in parvo tempore occupat corpus et iste etiam est ordinis primi sicut et precedens scilicet aspis hec albertus

Aodrius est serpens ordinis primi cum est magis greca vocatur audris et quia habitacio eius est in campo uel silua vocatur kedu siduris Est autem hic serpens minor quam sit aspis surda et latioris capitis et decior est et notabilior Incipit autem morsus eius cum dolore vehementi et inflamatur locus valde et deinde fit viridis et corroditur locus Et ipse qui morsus est patitur vertiginem et vomitum colere fetide et motus inordinatos et debilitatem virtutis et moritur sed plurimum in hora tercia et quando transit terciam hoc est quando serpens est aquosus aut quando complexio eius cuius morsus est valde est fortis et si tunc euadit cominabuntur ei egritudines a quibus numquam liberabitur hec albertus

Araclis est serpens malignus ordinis secundi inter ficiens die secundo cum corrosione epatis et confricatione intestinorum et est in colore varius non magne quantitatis hec albertus

Arunene serpes est quo nullus penitus serpens est peior nisi regulus solus non enim differt a regulo in nocumento quia visu inficiat et auditu sibili sui sicut regulus et quecumque animal mordet statim dissoluitur et moritur et similiter omne animal moritur quod appropinquat ei secundum etiam si ab eo non mordeatur secundum quantitatem maior est quam regulus Et est quantitas eius ab vno cubito in cubitum et dimidium et morsus nullam penitus recipit curationem hec albertus

Arundinis est cathaurus sunt serpentes equales in magnitudine et nocumento sed de cathauro inferius dicetur Est autem longitudo istorum usque ad cubitum et color arundinis est color herue et super corpus eius sunt vestigia linearum et ei que mordet accidit dolor vehemens in loco morsus et apostema maximum ex quo manat virus et inficiat aliquando in tercio die et aliquando moratus est post septimum Et ideo est de ordine secundo serpes iste hec albertus

Asilus est serpens primi ordinis et est ille de quo diximus quod est exspuens et quod longitudo eius est usque ad duos cubitos et color eius cinereus ad cineritatem declinans et inficiat illum quem mordet antequam redire possit ad antrum et quem mordet remanet sine sensu quietus profunde dormiens et patitur singultus continuos et clausione oculorum et torsionem colli et spasmum et pulsum inordinatum et non sentit dolorem intestinorum Ab hoc serpente morsus conveniens manum imponere gutturi habet ut eiciat vomitum hic autem serpens eleuat caput suum et exspuit venenum et locus morsus eius est paruus ut punctum acus et est absque apostemate et currit ex eo sanguis paucus magis eidem qui morsus est accidit tenebrositas oculorum et dolor in visceribus et de sedi a principio morsus et deinde sequitur clausio oculorum et profunditas sompni et non viuit morsus ultra terciam horam a morsu hec albertus

Aspis ut ait ysidorus ethimologiarum 12 vocata quia morsu venenum inmittit et spargit Ios enim grece venenum dicunt et inde aspis quasi aspergens ios eo quod morsu venenato intimat Fertur autem aspis cum pati cepit incantatorem qui eam quibusdam carminibus propriis euocat ut eam de cauerna producat Illa cum exire voluit vna aure in terram premit alteram cauda obturat et opit atque voces illas magicas non audiens non exit ad incantatorem Sed quod dicitur ysaie 60 oua aspidum ruperunt exponit quidam ruperunt id est eruperunt quasi diceret serpentes exclusi sunt Est autem aspis serpens cerulei coloris morsu venenum inmittit et spargit vnde et nomen accepit Aspis enim grece venenum dicitur ut dicit Iac Aspis quorundam verborum virtute incantatur ne veneno noceat uel ideo ut dicunt quidam ut quieta possit capi et auferri de fronte eius lapis preciosus qui in eo naturaliter nascitur Sed naturaliter cauta est contra incantatorem sicut prius dictum est Lucanus vocat eam sompniferam quia vulneratus ab ea sompnum mortis continuat Aspidi ut solius nisi cum pari vita est inde quod sit vna vna earum interempta Altera incredibiliter ulcionem cum interemptore sequatur et eum inquisitum libet agmine plurium infestat perrumpit omnes difficultates ut percetas et spacia nec nisi amnibus arcetur aut preceleri fuga non sinit viue comparare occisorem ut dicit experimentator aspis non nocet affricanis uel siris unde pueros desenatos obiciunt serpentibus quos leserit tamquam adulteros proiciunt Si vero non leserint eos quasi suos nutriunt